









25  
QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI

1774, 13.

AN

FISCO IVRISDICTIONIS  
HYPOTHECATACITACOMPETAT

IN BONIS PROPTER GABELLAM

ET DETRACTVM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITERAR. DVISEVVRGENS.

SOCIO

IN AVDITORIO IVRIDICO

DIE XXI MAII, ANNO MDCCCLXXIV.

DEFENDET

IOANNES AVGVSTVS NOERNER

DELITIO - MISNIC.

---

LIPSI AE

EX OFFICINA LANGENHEMII.











A N  
**FISCO IVRISDICTIONIS**  
**HYPOTHECA TACITA COMPETAT**  
IN BONIS PROPTER GABELLAM.

---



Sicuti magna differentia inter aerarium interque  
fiscum, quae in ipsis originibus posita, quippe  
necessitati et utilitati reipublicae aerarium,  
principis contra fiscus constitutus est; ita fisco ob fauorem  
principis non minora, quam ipsi aerario competunt iuris be-  
neficia. Nobis animus non est, late haec privilegia tam aera-  
rii, quam fisci pertractare, dixerunt KLOCK *de aerario*, Godf.  
Lud. MENCKEN *Ius Fisci mero adhaerens imperio*, SCHVL-  
TE diff. *de Iur. Fisci in hereditates priuatorum*, LAVTERBACH  
*de iure fisci*, et alii. Saltem singularem speciem tractabimus,  
videlicet: *an fisco hypotheca tacita competat in bonis propter Ga-  
bellam, sive censum detractus, sive emigrationis censum tangat.*





## §. II.

Quo ergo hanc controuersiam recte decidere valeamus, necesse est prius quaedam de *Gabella* seu censu illo dicamus, qui fisco praestandus ob transferenda bona. Hic census duplicis generis est; vel enim ob bona hereditaria ab herede ex territorio in aliud exportanda fisco soluendus, et *detractus* appellatur seu *Abzugs - Geld*, vel praestandus ab eo, qui domicilium mutaturus bona sua alio deferre constituit, et *censum emigrationis* vocant. Causam huius census quaerunt in nexu, qui inter principem interque subditum eiusque bona reipublicae nexa intercedit. Cum enim ciues subditi que pacto vinculo teneantur, neque iis propria auctoritate permissum erit, ab hoc vinculo sese liberare, suaeque bona ex quibus simul communia reipublicae onera ferenda, exportare, hinc moribus primum videtur census vterque et detractus et emigrationis introductus, quo aliquo modo satisfaceret reipublicae ob collecta capiendi ex bonis ad onera communia ferenda, quibus iam in futurum ex iis exportandis bonis caritura est. Adfirmat ENGAVIUS in *Elem. Iur. Germ. L. II. Tit. XXXIV. §. 507.* vniuersali prope Germaniae consuetudine niti. Postea legibus in Imperio suo modo comprobatur hicce census, vt patet ex RECESS. *Imper. d. A. 1555. §. 24.* et dein RECESS. *Imper. d. A. 1594. §. 82.* Et prouincialibus demum legibus confirmatur, quo referenda *CONST. ELECT. XXXVIII. P. III.* Plura BECK *Vom Abschofs und Nachsteuer.*

## §. III.

Sunt qui hunc censum et detractus et emigrationis reproban- atque iniustum et iniquum pronunciant. v. BERLICH *Part. III. Conclus. LII. n. 60.* quare et plerumque inter odiosa refertur. Sed defenditur ab aliis inter quos SCHAVMBURG *Einleitung zum Sächsischen Recht Part. I. Exerc. VII. §. 7.* Argumentum defensionis vel ab utilitate publica capiunt, vel ex eo, quod aequitas suadeat, vt, cum omni feri-



curitate ratione personae et bonorum suorum frui potuit, aliquid quasi ex gratitudine pro beneficio accepto reipublicae praestet. Sed utraque argumenta tanti haud videntur esse ponderis. Nam quod ad caput utilitatis publicae spectat, de quo MYLIUS *diff. de censu emigrat. th. 9.* concluderem, cessante causa, quae consistit in praestatione securitatis, nihil detrimenti patitur ciuitas exportatis bonis. Liberatur enim a defensione et personae et bonorum emigratione facta, unde sit ergo damnum, quod per hunc censum quasi refarciendum. Dein, quasi beneficii accepti loco compensatio per hunc censum facienda, non putem, quia ob praestitam securitatem defensionemque tributa in republica soluntur, et ab emigrante soluta. Si ergo defendendus est ille census, causam defensionis in eo quaerendam puto, quod ob nexum subiectionis unilaterali dissensu haud soluendum maiestatis consensus quasi redimitur: Imo in retorsionis iure defensionis quaedam causa latet, quare et Saxonica Iura Electoralia olim ex solo retorsionis iure approbabant. cit. *CONST. Elector. XXXVIII. P. III.* quod vero retorsionis ius hodie tantum contra extraneas prouincias retinent, et in terris Saxonis ex solo iure consuetudinis tolerant, vt habet *DECIS. Nouiss. VI. de A. 1746.* Ita verba legis: *Wo Abzugsgeld nicht absonderlich eingeführet, kan es auch, wann die Unterthanen sich an solche Orte unserer Lande, da dasselbe rechtmæssig hergebracht, begeben, per retorsionem keinesweges gefordert, noch um deswillen, das dasselbst ein mehreres entrichtet wird, erhahet werden. In dem Falle aber, da die Unterthanen ausser Landes ziehen, bleibet denen Obrigkeiten, sich auch dießfalls des Iuris retorsionis zu gebrauchen, unbenommen.*

§. IV.

Et dubitatio existit, cui exigendi gabellam ius competat. Sunt, qui iudici criminali iurisdictione instructo tantum fisci iura tribuunt, vt *MENCKEN. cit. disp. vt hinc exactio*





gabellae ad hunc tantum pertineret. Dissentiunt alii vt KIERITZ de iure fisci mero imperio haud cohaerente. Recte videtur determinare ENGAV. in *Elem. Jur. Germ. cit. loc. §. 509.* domino iurisdictionis tam ciuilibus, quam criminalis, ius competere exigendi gabellam, ita tamen, si vel privilegio, vel praescriptione munitus sit, atque consuetudo simul gabellas comprobet. Cui enim iudici ferenda sunt iurisdictionis onera, eidem quoque fisci iura principes dederunt, quo aptum eundem redderent ad onera illa praestanda; Iure tamen prouinciali Saxon. per *Land Recht L. I. art. 28.* competit ei, qui iurisdictionem altam habet. Nullum tamen est dubium, quin magistratui seu iudici ciuili iurisdictione munito iurisdictionis onera incumbant: ita tuto concludimus, eiusdem iuribus adnumerari posse detrahendi ius gabellas, ni lex vel consuetudo repugnet. Hinc in *Electore tu ex GENERALI dd. 4. Mart. 1747.* in Praefecturis Electoralibus, si a subditis immediatis Praefecturae in territorium alius Praefecturae bona transportantur, census emigrationis omnis cessat.

§. V.

Iam ergo ad nostram quaestionem: *An respectu huius iuris exigendi Gabellam detrahitur vel emigrationis iudici hypotheca tacita in ipsis bonis, ex quibus census praestandus, competat?* Habet quidem fiscus ius tacitae hypothecae adeo cum iure praelationis in bonis debitorum ex contractu, vt probant ex *L. 46. §. 3. et L. 28. π. de iure fisci*; tamen, cum singularia iura non admittunt interpretationem extensiuam, et praeter legis expressa verba per solam interpretationem beneficia et privilegia a legum interpretibus concedi nequeunt, cum lex silet, fisco intuitu Gabellae detrahendae non poterit hypotheca tacita concedi. Neque in Saxonia aliter sentiendum videtur. Cum enim hoc iure improbantur tacitae hypothecae, vt patet ex *ORDIN. PROC. SAX. RECOGN. Tit. XLV.* quamuis post alias leges demum *MANDAT. Elect. d. A. 1734.* denuo confirmauerit; noluit tamen dictum

Manda-





Mandatum, ut extra legum auctoritatem extendantur, sed in tantum confirmavit, in quantum ante editam Ordinationem recognitam usu comprobabantur. Iam vero ex nulla lege constat, fisco ob censum emigrationis vel detractus tributum esse ius tacitae hypothecae, hinc sine idoneo fundamento a iudice fisci iura habente illud exigetur.

§. VI.

Quamvis vero tacitae hypothecae ius fisco iudicis negetur, tamen negari non potest, retentionem a iudice posse exerceri. Quod si enim contingat, ut quis bona sua ex domicilio, quod hactenus tenuerat, alio transportaturus sit, poterit quodammodo Arresto detinere illa bona transportanda, donec iudici censu praestito atque soluto satisfactum sit. Sibi ergo imputare debet emigraturus, si bona retineat iudex, quod huic censum non soluerit, ad quem soluendum legis vel consuetudinis, quae legis vim habet, auctoritate tenebatur. Cum enim iudici alia securitas haud competat, ipse tamen iure hunc censum exigere possit, recte, ne transportatis bonis suo iure fraudetur, sibi retentis bonis et imposita prohibitione, ne bona transportentur, prospiciet. At iudicis est, exigere censum illum. Quare dubia videtur quaestio, an, si censum exegerit et transportationem prohibuerit, iudici agendi ius competat coram iudice novi domicilii ad consequendum censum debitum? Equidem vix actionem proditam habemus; nihilominus tamen putem succurrendum iudici saltem extra ordinem causa posita in exactione et transportationis prohibitionem atque fraude ipsius emigrantis.

§. VII.

Quapropter si aliqua negligentia iudici tribuenda in exigendo emigrationis censu, cum tacita hypotheca haud gaudeat, plane neque censum postea exiget, neque eidem succurrendum videbitur. Ita sane etiam responsum est ab Illustri Ordine Ictorum Lipsensium mense Aprilis. Cum enim subditus





tus Iurisdictionis ex territorio coniuente iudice mobilia trans-  
 portasset in aliud territorium, postea emergente concursu cre-  
 ditorum, cum reliqua bona autoritate iudicis vendenda essent,  
 censum sibi exegit de mobilibus ante septennium a moto con-  
 cursu transportatis, atque securitatem in his bonis, quae ven-  
 denda erant, sibi quaerebat. Creditores, quorum iura fuis-  
 sent imminuta detractō emigrationis censu, negabant bona esse  
 obligata hypothecae iure, sed iudicem sibi imputare debere,  
 quod transferre passus sit, nec tunc retentionis iure vsus. Con-  
 firmabat Ordo ICtorum hanc Creditorum opinionem, atque  
 censui obnoxia tantum transportanda bona putabat, ita, vt  
 si nihil exegerit iudex, in reliquis nihil securitatis habere pos-  
 sit. Ita enim sententia informatoria:

*So mögen die M. Gerichte zu R. wenn Jhnen auch allensfalls,  
 wie doch durchaus nicht ist, das angegebene Abzugs-Geld ge-  
 bührte, dieserwegen ein stillschweigendes Unterpandes Recht in  
 dem zu der St. Concurs-Massa gehörigen unbeweglichen Gütern  
 für sich nicht verlangen. V. R. W.*



P. 430.




VD  
18

ULB Halle  
002 689 030

3











25

1774, 13.

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
AN  
FISCO IVRISDICTIONIS  
HYPOTHECATA CITA COMPETAT  
IN BONIS PROPTER GABELLAM  
ET DETRACTVM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
PRAESIDE  
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING  
PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBVRGENS.  
SOCIO  
IN AVDITORIO IVRIDICO  
DIE XXI MAIL. ANNO MDCCCLXXIV.  
DEFENDET  
IOANNES AVGVSTVS NOERNER

P. 1061

DELITIO - MISNIC.

LIPSI AE

EX OFFICINA LANGENHEMII.

